

S. BASILIUS L. 2. contra Eunomium. n. 17. *Nos autem aeternitatem creaturis tribuere, et Creatorem hac confessione privare, ejusdem amentiae dicimus.* Ante probaverat Filium esse aeternum; hinc infert non esse creaturam, ut volebat Eunomius. Rationem affert: quia sicuti repugnat Creatori non esse aeternum, ita creaturae repugnat esse aeternam. Dicit esse ejusdem amentiae, non quia utrumque est haereticum, sed quia utrumque ex natura rei involvit repugnantiam.

S. JOANNES DAMASCENUS L. 1. de fide, cap. 8. (opp. t. 1. p. 133. E. edit. Venet.) distinguens generationem et creationem, dicit, *generationem carere principio temporis, et esse aeternam, quia opus est naturae, et ex substantia Patris procedit. Creatio vero, inquit, cum sit opus divinae voluntatis, non est coaeterna Deo: quia quod ex non ente ad esse producitur, non est aptum natum esse coaeternum ei quod principio caret, et semper est.*

9. Quidam putant DAMASCENUM solum velle dicere, creaturae non esse necessarium aut connaturale, esse ab aeterno; sed prava translatione decipiuntur. Illud enim οὐ πέφυκε non recte vertitur, *non est natura comparatum, vel natura non postulat; sed non potest, οὐ δύναται*, ut passim *Argyropyllus* apud Aristotelem vertit; unde significat repugnantiam ex natura rei. Simili modo idem DAMASCENUS paulo ante dixerat, quod divina natura οὐ πέφυκεν ὑπομένειν πάθος ἢ βεῦσιν, ubi non vult dicere, ei non esse naturale, sustinere passionem aut defluxionem, sed ipsam non esse aptam seu capacem passionis. Ex quibus patet, ex sanctorum Patrum sententia, repugnare naturae creatae; ut sit coaeterna suo Conditori. Et quamvis difficile sit hujus rei causam afferre, eo quod rationem infiniti non satis perspectam habemus; tamen per se est rationi valde consentaneum, nec creatura ulla in re possit aequari suo Conditori, nec possit ei dicere: Ante me non exististi, tam antiquus sum quam tu, et Filius tuus. Deinde ratio creaturae videtur involvere ut antea non fuerit. Hinc Patres Graeci definiunt creationem, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι προαγωγήν, *ex non ente ad esse productionem.*

Et S. AUGUSTINUS L. contra Felicianum Arianum cap. 7. (in append. t. 8.) ex definitione creaturae probat Filium non esse creaturam. *Creatura, inquit, est ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia. Haec definitio, utrum in Dei cadat Filium videamus, etc.*

10. Itaque omnes isti volunt, de ratione creationis et productionis ex nihilo esse, ut res producta aliquando non fuerit. Et sane si Ariani putassent creaturam posse esse Deo coaeternam, facile dixissent Filium esse quidem creaturam, sed creaturam aeternam; et sic amovissent a se praecipuam sui erroris invidiam. Maxime enim offendebat, quod dicerent fuisse aliquando tempus, nempe imaginarium, quo Filius non erat: idque putabant omnino sequi ex sua sententia, qua statuebant esse creaturam. Praeterea, si aliquid fuisset a Deo conditum ab aeterno, ejus creatio non fuisset peracta momento, sed aeterno tempore durare debuisset; nec Deus potuisset rem illam in nihilum redigere, aut influxum suum subtrahere, nisi postquam res illa aeterno

tempore durasset; quod sane videtur absurdum, nec mens ullo modo potest concipere. Denique sicut creaturae repugnat immensitas, per quam coextendatur omnibus spatiis locorum; cur non etiam aeternitas, per quam omnibus spatiis temporum? quia par est ratio, imo hoc videtur conceptu difficilius.

11. Nec obstat quod Deus ab aeterno habuerit omnem suam potentiam, et potuerit habere voluntatem illam liberam creandi; ubi autem adest potestas et voluntas, ibi quoque sit effectus. Nam simili modo in omni parte spatii per totam immensitatem locorum adest illi sua omnipotentia et voluntas libera, et tamen non potest creari aliqua creatura, quae totum illud immensum impleat: causa est quia id repugnat naturae creatae. Recte tamen convincit illud argumentum, in quovis momento temporis imaginarii, quantumvis hinc retrorsum distante, potuisse fieri creaturam, et ante: sicut in quovis puncto loci imaginarii potest fieri, et ulterius. Et hoc sufficit ad ipsius omnipotentiam immensam et aeternam asserendam. Ex quibus manifestum videtur, eos qui docent potuisse aliquam creaturam permanentem esse ab aeterno, seu mundum ab aeterno esse conditum, non tamen posse fieri corpus immensum, aut qualitatem infinite intensam, aut numerum rerum actu infinitum, non loqui consequenter, cum eadem sit in his omnibus ratio. (De Perfectionibus divinis, L. 4. c. 2. n. 8-11.)

PROPOSITIO III.

DEUS OMNIA POSITIVE CONSERVAT.

12. Non satis est Deum creaturam semel fecisse, sed opus est assidua conservatione ut in esse permaneat. Itaque totus ille impetus et influxus, quem primo creationis momento praestitit, ut rem ex nihilo in lucem et speciem excitaret, debet indesinenter continuari, omnibusque momentis dari; alioquin si vel unico temporis puncto intermittatur, tota creatura funditus peribit, et in suum nihilum, unde emerit, relabetur. Sicut ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est ut illud assidue conservet, continuando primum influxum. Si enim vel unico momento vim suam cohiberet, repente totum lumen extingueretur. Similiter si pondus aliquod in aere manū suspendas, illud assidue sursum teneri, et eodem impetu ibi conservari debet, quo ab initio ibi est suspensum. Idem cernitur in speciebus visibilibus, et in actibus vitalibus.

Hinc rursum oritur summum jus Deo in creaturam. Quod enim potest jus majus animo concipi, quam posse omnia in nihilum reducere, sola cessatione operationis et beneficentiae? Nam quid est quod Deum cogit hunc beneficium et substantificum influxum continuare? cui debitor est ut hunc semper praestet? Itaque omni momento potest illum sistere et cohibere; quod si faciat, ruet tota hujus mundi machina in suum centrum, hoc est in nihilum, et evanescet omnis rerum natura.

Porro ne quis de hac rerum mirabili a Deo dependentia assidue dubitet, aut considerata earum soliditate et firmitate putet eas semel factas posse per se consistere; ostendam illud non esse philosophicam speculationem vel opi-

nionem, sed certum Religionis nostræ dogma a Scripturis et Patribus traditum, et firma fide tenendum.

13. I. Probatur ex Scripturis. Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Quasi dicat: cum ubique præsens sit, omniaque conservet intime, nihil illum latet, non cogitationes internæ, non occulta murmura, non blasphemæ voces etc. Et Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* At si non requiritur continua conservatio, non est opus illa voluntate ut res permaneant: nihil enim operabitur, et opus semel factum per se stabit, cum nulla res extrinseca illam possit labefactare. Ad Hebr. 1. *Novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula, qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ.* Hic aperte docet Apostolus per Filium non solum condita esse omnia, sed etiam ejus omnipotenti virtute omnia portari, suslineri, et veluti sursum inesse et natura suspensa teneri ne in suum nihil recidant; sicut cum quis pondus quod portat et suspensum tenet, dimittit, mox id deorsum cadit. Ita hunc locum exponunt Patres: ANSELMUS, *Portat, inquit, omnia, id est, sursum tenet ne decidant et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant: et sustentat ea non labore et difficultate, sed imperio suæ potentie.* CHRYSOSTOMUS Hom. 2. in epist. ad Hebr. n. 3. *Feratque omnia, id est, gubernet omnia: siquidem cadentia et ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est continere mundum quam fecisse; sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est. Nam in faciendo, rerum quidem essentia productæ sunt; in continendo vero, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Eadem verba habet Commentarius qui tribuitur AMBROSIO. Eodem modo exponunt hunc locum THEOPHYLACTUS, HAYMO et alii.

Ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Hic rursus Apostolus distinguit creationem et conservationem, dicitque non solum per ipsum, ut per virtutem Patris, et in ipso, tanquam immenso quodam sinu creata esse omnia, sed etiam omnia consistere, et conservari, id enim significat illud: *πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκεν.* CHRYSOSTOMUS Hom. 3. in hanc epist. n. 2. *Quod vero dicit, In ipsum, quid est? hoc scilicet, in ipsum pendet omnium hypostasis. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc ut essent produxit, sed et idem ipse nunc quoque ea conservat et tuetur, ita ut, si ipsius cura destituerentur, mox perirent et corrumperentur. Sed non dixit, conservat, quod crassius fuisset, sed quod subtilius, nempe quod omnia in ipsum pendent. Duntaxat ad ipsum annuere et inclinari satis est ad conservandum et constringendum; ita et Primogenitus veluti fundamentum est. Et infra: Ne putes eum esse ministrum, dicit eum omnia conservare, quod non minus est quam omnia creare.*

ANSELMUS: *Omnia in ipso constant, quia sicut omnia creavit, sic omnia continet et regit. Omnia in ipso constant; quia secundum immensitatem incircumscriptæ et incomprehensæ Divinitatis ejus, omnia sunt intra ipsum, et ne in nihilum redeant per eum consistunt.* Eodem modo exponunt cæteri.

Joannis 5. *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Hunc locum omnes explicant de operatione qua mundum conservat et rebus omnibus

cooperatur. D. AUGUST. L. 4. de Genes. ad litteram, c. 12. *Potest etiam intelligi, Deum requievisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova. Deinceps autem usque nunc et ultra operatur eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt; non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a cæli et terræ, omniumque rerum quas condiderat gubernatione cessaret; alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia... causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium cum fabricaverit, abscedit atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit. Proinde et quod Dominus ait: Pater meus usque nunc operatur; continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat ostendit. Idem prosequitur fusius et probat ex duobus Scripturæ locis. Et in Enchiridio cap. 27. Non sane Creatoris desistente bonitate et malis angelis subministrare vitam vivacemque potentiam, quæ subministratio si auferatur, continuo interibunt. Idem docet aliis multis locis.*

AMBROSIIUS L. 7. in Lucam c. 13. n. 173. *Denique et Deus ab operibus mundi quievit, sed non ab operibus, cujus sempiterna et jugis operatio est, sicut Filius ait: Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Simili modo explicant hunc locum CHRYSOST. Homil. 38. al. 37. in Joannem, CYRILLUS L. 2. in Joannem (t. 4. p. 212.) THEOPHYL. in cap. 5. Joannis, et alii.

Præterea sacra Scriptura passim Deo tanquam auctori tribuit operationes et effectus causarum naturalium. Matth. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Psal. 103. et 146. *Qui producit in montibus fenum et herbam servituti hominum. Job 10. Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu... Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, etc.* Quibus verbis aperte significatur Deum non solum vires rebus olim ipsis inseruisse, sed etiam assidue illas conservare, et illis immediate cooperari ut effectus suos producant. Primo, quia alioquin solum remote et improprie diceretur hæc facere; sicut improprie et remote dicitur sol calefacere dum calefacit me lapis, cui sol calorem impressit. Et simili modo possemus dicere, omnes rerum generationes fieri a primis mundi individuis, quia fiunt virtute ab illis accepta. Secundo, quia Dominus intendit nobis commendare quotidianam et assiduam Patris cælestis beneficentiam, non veterem solum initio mundi exhibitam, ut nos eum, tanquam veri filii quotidie imitemur. Tertio, quia Patres ex istis locis probant Deum assidue operari, etiam die sabbati: sicut qui horologium disponit feria sexta, quod toto die sabbati currit, non idcirco dicitur operari die sabbati. Vide CHRYSOSTOMUM, CYRILLUM et THEOPHYLACTUM supra. Denique cum Deus solem crearet, nondum erant mali; quomodo ergo ratione istius creationis dicitur quod faciat solem suum oriri super bonos et malos? etc.

14. II. Probatur ex Patribus: et præter supradictos id clarissime tradit DIONYS. L. de divin. Nomin. cap. 10. §. 1. *Τὸ μὲν γὰρ (παντοκράτωρ) λέγεται διὰ τὸ πάντων αὐτὸν εἶναι παντοκρατορικὴν ἔδραν, συνέχουσαν καὶ περιέχουσαν τὰ ἅλα, καὶ ἐνδρούουσαν, καὶ θεμελιούσαν, καὶ περισφιγγούσαν, καὶ ἀβραγές*

ἐν ἑαυτῇ τὸ πᾶν ἀποτελοῦσαν, καὶ ἐξ αὐτῆς τὰ ὅλα καθάπερ ἐκ βίβης παντοκρατορικῆς προάγουσαν, καὶ εἰς ἑαυτὴν τὰ πάντα καθάπερ εἰς πυθμένα παντοκρατορικὸν ἐπιστρέφουσαν, καὶ συνέχουσαν αὐτὰ ὡς πάντων ἔδραν παγκρατῆ τὰ συνεχόμενα πάντα κατὰ μίαν ὑπερέχουσαν, πάντα συνοχὴν ἀσφαλιζομένην, καὶ οὐκ ἔδωσαν αὐτὰ διεκπεσόντα ἑαυτῆς, ὡς ἐκ παντελοῦς ἐστίας κινούμενα παρπολέσθαι. *Omnitenens* (sic enim videtur hic vertendum παντοκράτωρ, non *omnipotens* : nam de omnipotentia egerat cap. 8.) *dicitur, quod sit omnium sedes, omnia continens et complectens et cuncta stabiliens, fundans atque constringens et universum in se insolubile præstans, et ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se ut ad omnitenens fundum universa convertens, et continens ut omnium sedes omnicaपा; omnia contenta una præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne tanquam exactissimo domicilio mota dispereant.* His verbis multis modis DIONYSIUS hanc conservationem explicat, de quibus infra. Idem cap. 13. §. 1. Διατεῖνον ἐπὶ πάντα ἄμα, καὶ ὑπὲρ πάντα ταῖς ἀνεκλείπτους ἐπίδοσαι, καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις. *Pertingens ad omnia pariter, et supra omnia indeficientibus largitionibus, et interminabilibus operationibus.* Idem clarius verbis sequentibus ubi dicit, hanc largitionem esse semper eandem et incessabilem et imminubilem. Eandem sententiam insinuat multis aliis locis.

ORIGENES L. 2. Periarcho. c. 1. n. 3. : *Quomodo in Deo vivimus et movemur et sumus, nisi quia virtute sua universum constringit et continet mundum?* Et infra : *universum mundum virtutis suæ plenitudine replet et continet.*

DAMASCENUS L. 4. cap. 3. de fide orthodoxa : *Creaturæ connexio, conservatio et gubernatio docet nos Deum esse, qui istud universum constituit et continet et conservat et providentia sua regit.* Idem docet cap. 16.

Eandem sententiam expresse docet HIERONYMUS contra Pelagianos, et epist. ad Ctesiphontem, quibus locis non solum docet ad fidem catholicam pertinere conservationem rerum, sed divinam cooperationem cum omnibus rebus.

PROSPER sententia 278. (al. 277.) ex AUGUSTINO L. 4. de Genes. c. 12. *Creatoris omnitenentis omnipotentia causa est subsistendi omni creaturæ : quæ virtus, si ab eis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species et natura concideret : proinde quod Dominus ait, Pater meus usque modo operatur, continuationem quamdam operis ejus, qua simul omnia continet atque administrat, ostendit etc.*

GREGORIUS L. 2. Moral. c. 8. (al. 12. n. 20.) : *Cælum palmo metiens, et terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus quas creavit exterior..... Per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interior supraque; per pugillum, quo continet, esse exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interior penetrans; nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior atque ex alia manet interior : Sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens,*

circumdando penetrans, penetrando circumdans. Hic inter cætera docet, mundum a Deo sustineri, ne in nihilum relabatur. Idem ibid. L. 16. c. 16. (al. 37. n. 45.) : *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret.* Et paulo ante : *Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt.*

BERNARDUS serm. 6. in Dedicat. Ecclesiæ n. 2. (opp. t. 1. p. 1082. F.) : *Est in omni loco omnia universaliter continens, omniaque disponens.* Idem Præfatione in Psalmum : *Qui habitat, n. 1. (opp. t. 1. p. 827.) : Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia?..... Quid est quod totam molem terræ sustinet? et universus orbis cui innititur? Nam si est aliquid quod sustineat cætera, ipsum a quo sustinetur? Non invenitur nisi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et L. 5. de Considerat. c. 6. n. 13. *Quid item Deus? sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est et omnium esse.* Ubi aperte essentialiam a Deo dependentiam docet. Et infra, n. 14. : *Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem, alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute.*

HUGO DE S. VICTORE Tract. 1. Erudit. Theolog. : *Indubitanter credimus, Deum ubique essentialiter esse : nec sine eo potest aliquid subsistere, etiam per momentum, ex omnibus quæ fecit ; quia omnia continet et penetrat, et a nullo continetur.*

Idem docent omnes Scholastici, nemine excepto, etiam Durandus, ut patet in 1. d. 37. q. 1. : etsi enim solus sentiat ex omnibus Deum non concurrere in operando cum singulis rebus ; tamen docet, Deum assidue conservare res omnes per se subsistentes et materiam primam. Idem senserunt Philosophi, præsertim Platonicæ, qui idcirco docuerunt mundum semper a Deo fieri et pendere a Deo, sicut umbra pendet a corpore et lumen a sole ; ut ostendit Marsilius Ficinus L. 2. Theolog. Platon. cap. 7. Idem videtur sentire Aristotele L. 2. de Cælo, cap. 9. sub finem, cum ait, ab æterno et immortali æone dependere esse et vitam aliis perfectius aliis obscurius ; in quem locum vide Scaligerum in Exercitationibus contra Cardanum, versus finem.

15. III. *Probatur ratione.* Si mundus potest stare sine assiduo Dei influxu et conservatione, multa sequentur incommoda : 1°. Ipsum non habere essentialiam dependentiam a Deo, sed extrinsecam et accidentariam, qualem habet opus ob artificem et filius a parente. Quod enim essentialiter ab aliquo dependet, semper dependet, et non solum primo momento quo producitur. Atqui absurdum est dicere mundum non habere essentialiam dependentiam a Deo ; sic enim non repugnaret ei, habere esse et non a Deo, ac proinde vel habere esse a se vel ab alio principio quod non est Deus, quorum utrumque implicat. Dico mundum et res omnes habere essentialiam dependentiam a Deo, non quod hæc vel illa particularis dependentia ei sit essentialis, sed quia dependere in genere a Deo ei essentialis est. 2°. Mundum minus a Deo pendere, quam intellectio aut volitio pendeat ab anima, visio ab oculo, lumen a sole. Hæc enim ita a suis causis pendent ut assidua conser-

vatione opus habeant. 3°. Minus pendere a Deo mundum, quam animalia et plantæ pendeant a sole : hæc enim fere assiduo solis influxu opus habent ; alioquin mox contabescere incipiunt. Imo viventia magis a sole quam a Deo pendeant. 4°. Res quæ quotidie oriuntur, non magis pendere a Deo quam a causis suis particularibus. 5°. Deum esse pene otiosum in mundo, et mundum non egere amplius opera ipsius : sicut domus firmiter extracta, in qua nihil potest labare, non eget amplius opera artificis. 6°. Deum non gubernare mundum nisi ratione primæ creationis, qua illi vires operativas, ex quibus hic cursus rerum ducitur, impressit. 7°. Deum non posse angelum, vel materiam primam, vel animam rationalem in nihilum redigere. Non enim id potest creando aliquid positivum illorum naturæ ita repugnans ut eam aboleat, quia non sunt formæ subjecto affixæ, ut per alias excludi queant : neque aliquid positivum fingi potest, quod illis coexistere nequeat : neque etiam subtractione influxus conservantis, quia supponit illa sententia mundum non egere causa conservante.

16. Ex his patet certa fide tenendum esse, res omnes creatas assidue a Deo pendere, et ejus assiduo influxu egere : et hunc influxum non necessario a Deo manare, sicut lumen a sole, ut quidam Philosophi imaginati sunt, sed omnino libere : ac proinde ratione hujus Deum summum jus habere in omnem creaturam, cum omni momento funditus ab illius arbitrio pendeat.

Porro hæc conservatio, ut ex prædictis testimoniis colligitur, etsi unica sit et unius modi, tamen quadruplici modo concipi potest. 1°. Per modum *sustentationis*, quasi creatura Deo veluti firmissimo fundamento et fundo sit innixa, et ipse eam inferne quasi sustineat, ne in centrum sui nihili recidat. Sic DIONYSIUS supra Deum vocat *sedem omnitenentem, fundum, fundamentum omnium*, et GREGORIUS ait, *Deum esse infra omnia, et subtilis creaturam sustentare*. 2°. Per modum *suspensionis*. Deus enim creaturam ex abisso nihili quasi trahit sursum versus seipsum ad esse et ad speciem certam, et in ea illam quasi suspensam tenet, ne in suum abyssum undeeducta est recidat. Sic ANSELMUS supra, *Portat*, inquit, *omnia, id est, sursum tenet ne decidant et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant*. Idem insinuat verbum *dependere, dependentia*. 3°. Per modum *influxus et subministrationis*. Sic D. AUGUSTINUS et DIONYSIUS supra vocant operationem, largitionem indesinentem, subministrationem *esse et naturæ*. Idem significatur cum Deus dicitur omnium *esse, omnium vita*. 4°. Per modum *connexionis et constrictionis*. Sicut enim res fluxa, nisi assidue constringatur et connectatur suis partibus, statim diffluit et dissolvitur : ita nisi Deus interius constringat et connectat particulas omnes minimas, aut totalitates rei, ipsa tota in nihilum solvetur. Hoc significant Patres, cum dicunt Deum omnia continere et constringere : *πάντα συνέχειν καὶ συσφύγγειν*. (De Perfectionibus divinis, L. 10. c. 3. n. 20. seqq.)

PROPOSITIO IV.

NON MINOR INFLUXUS DEI REQUIRITUR AD RERUM CONSERVATIONEM QUAM AD EARUM CREATIONEM.

17. Verum occurrit hic quæstio Theologo digna, et paulo fusius more scholastico discutienda. Utrum ad hanc conservationem sufficiat concursus quidam, seu influxus generalis ; an vero opus sit influxu determinato, qualis necessarius est, quando res a solo Deo producitur. Et ne sit in istis nominibus æquivocatio (nam influxus vel concursus generalis interdum vocatur qui est ordinis naturalis, et concursus specialis qui est ordinis supernaturalis), *influxum generalem* hic vocamus, qui ex parte Dei est indeterminatus ad hoc vel illud genus rerum, sed solum determinatur quatenus conjungitur concursui determinato causæ creatæ ; et cum eo coalescit in unum totalem et integrum influxum sufficientem ad rei productionem. Sicut cum Deus ut causa universalis concurrat cum igne ac productionem caloris, præbet quemdam concursum generalem, id est, ex parte sua indifferentem ad hanc vel illam speciem rerum, qui solum determinatur ad productionem caloris, quatenus coalescit cum concursu ignis, qui ex se tendit ad calorem. *Influxum specialem* seu determinatum vocamus qui ex se, et ut procedit a sua causa, est determinatus ad certam speciem, qualis est influxus ignis ad producendum calorem. Idem cernitur cum Deus cum causis creatis habentibus vim determinatam, et in ordine suo sufficientem concurrat ad productionem effectus, et cum animalibus et plantis ad productionem formæ substantialis et totius compositi : ipse enim præbet concursum ex se indeterminatum, causa creata determinatum.

18. His positis, quidam considerantes rerum quarundam soliditatem ac permanentiam, putant ad conservationem rerum non esse opus determinato influxu ; sed sufficere concursum generalem, qualis sufficit quando Deus concurrat cum causa creata ad productionem effectus. Unde etiamsi opus sit determinato influxu Dei quando ipse solus rem quamdam producit, non tamen esse opus tali influxu, quando se solo postea eam conservat : sicut ut conderet mundum, et angelos, et cætera omnia, necessarius fuit influxus determinatus ; post primum tamen instans creationis talem influxum dicunt non amplius fuisse necessarium, sed loco illius suffecisse influxum generalem, qualis est is, quo Deus rebus creatis cooperatur.

19. Fundamentum hujus sententiæ est duplex. Primum est : quia sicut res natura sua habent vires ad operandum, quibus possint effectus suos producere, Deo solum concursu generali et indeterminato concurrente ; ita etiam putant eas habere vires ad sui conservationem, quibus possint se intime conservare, Deo solum generali concursu ad conservationem concurrente. Alterum est : quod facilius sit aliquid jam productum conservare, quam ab initio producere. Unde etiamsi ad productionem opus sit pleno et totali influxu, ad conservationem tamen satis erit semiplenus et partialis.

Hæc sententia, etsi pulchre videatur excogitata, mihi tamen semper visa a veritate aliena.... Unde